

**E**Xenterato corpore, ingenti lymphæ quantitate intumuit abdominis capacitas. Ultra viginti libras pendebat jecur, & quod mirum in Hepate duo calculi alter duodecim, alter vero sexdecim libras æquabat. In Matrice quoque lapis inventus quatuor librarum pondere.

---

LXXXI. OBSERVATIO.

*Anatome Diabetis & Amaurosi laborantis.*

*Virgo aliquot ante obitum annis Diabete correpta fuit. Paucis ante mortem diebus amaurosi oculorum afficitur, adeo ut solis aut candelæ lumen non animadverteret.*

**M**ortuæ cranio aperto, insignis vesica aquosa inventa est, cujus gravitate nervi optici circa illorum exitum ita premebantur, ut lumen per angustos istorum nervorum porulos subire non posset.

## LXXXII. OBSERVATIO.

*Calculosi Dissectio.*

*Calculosus à febris lethali extinguitur. Hic bis decem ante annos de dolore laterum intolerabili conquestus est; viscosa sæpe per diuresin excrevit.*

**I**N Cadavere exenterato ren sinister fuit consumptus, verum ejus loco calculus ramosus inventus: dexter fuit colore magis citrino & subfusco. Uretheres admodum capaces. Vesica distenta & Hydatidibus obsessa, magnum continens calculum. Venter sanguine concreto exterius aspersus.

## LXXXIII. OBSERVATIO.

*Pueri abdomen dolentis dissectum.*

*Decem circiter annorum puer, aliquot ante obitum annis continuo de dolore in abdominis sinistra parte querebatur.*